

LXXX.

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
ACTIONIBVS MANDATIS

QVAM

INCLVTI IVRECONSULTORVM ORDINIS INDVLTV

IN FRIDERICIANA

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTVNT

PRAESES

IO. DANIEL GRVBER

PHIL. ET J. V. D.

ET

RESPONDENS

IO. SAMVEL FRIDERICVS BOEHMER

HALENSIS, IVRIS STUDIOIS.

A. D. XVI. APRIL. CI C CCXXIII.

H. L. Q. C.

HALAE MAGDEBURGICAE

AERE IOAN. GRVNERI, ACAD. TYPogr.

4

xxx
DISSERTATIO IURIDICA

de

ACTIONIBVS MANDATIS

ET CVM

REGULI JURISCONSULTORIUM ORDINIS MDEFTA

IN PRACTICIS RICEDIANA

ET TITULO EXPLANATIONE ET COMMENTATIONE

PRAECESS

DE DANIEL GRAEBER

THESSALONICIENSIS

ET

RESPONDENS

DE SAMUEL FRIDERICAS POHLMANN

ET CETERIS INSTITUTIONIBUS

AD DISCUSSIONES ETIA' DE QVIETU

ET CETERIS

HABET MARGARETAE

ET IOAN. SCHWANTZIUS. BARO VEN.



Q. D. E. V.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

ACTIONIBVS MANDATIS.



§. L

rduum adgredior certamen, com. Praesentis
mentaturus argumentum, omnium argumenti
iudicio, admodum perplexum, lac ambigua &
tanto grauioribus dubiis inuolutum, perplexa di-
quanto minus veterem consuetudi-
nem fori & pristinum morem iudi-
ciorum, in republica Romana vigen-
tem, ex quo multum lucis adfulgere posset, perspectum
adhuc habemus atque exploratum. Modum *cedendi* & *man-
dandi* actio[n]es intelligo, in quo veteres Iureconsulti in-
gentes fluctus mouerunt, eoque iuris interpretibus infinitarum litium serendarum occasionem dederunt. Cuius rei

A

am-

amplissimum testimonium perhibent, qui iusta volumina de *Cessione Actionum* conscripserunt, veluti IOANNES SANDIVS, CHRISTIANVS LENZIVS, ALFONSVS DE OLEA, BRVNNEMANVS, aliquie, cum LAVTERBACHIO in *diff. de Procuratore in rem suam*. Evidem mibi iam non est propositum, singulas in hac doctrina exciratas controuersias enarrare ac sub incudem vocare; quod ingentis opus voluminis posceret, huius-

Summa di que modum excederet scriptio[n]is. Id solum imprese[n]dorum tiarum agere animus est, idque exquirere, vtrum *cessio actionum* olim necessario per *mandatum* fieri debuerit, an vero cedere & mandare *actiones* fuerint *distanti* in alterum *actiones transferendi modi?* in quam posteriorem sententiam proclivior sum. Quod vt ordine atque distinete explicem, ad haec capita in primis stilum aduertam. I. Exhibeo communem doctorum sententiam. II. Demonstrabo, cessionem *actionum* factam fuisse sine mandato. III. Ostendam, deficiente cessione, *actiones* simpliciter fuisse mandatas, solo interueniente consensu contrahentium: denique IV. D. Pium ex aequitate hanc doctrinam emendasse, vtileisque *actiones*, proprio nomine exercendas, indulisse, ita, vt nec *mandatum* amplius, nec *cessio* desideraretur, sufficeretque de voluntate contrahentium constare.

§. II.

Mandatarum *Actionum*, quibus is, in quem *actio transferenda* fuit, *procurator in rem suam* constituebatur, frequentissima in iure fit mentio. Namque in l. 2. §. f. *famil. hercis.* dicitur; *vt alter alteri mandet actiones, procuratoremque eum in rem suam faciat.* Et l. 4. C. de *procurat.* deciditur, *aliena negotia per mulieres non aliter agi posse, nisi in rem suam & proprium lucrum mandatae sint eis*

eis actiones. Ratio huius decisionis traditur l. 9. C. de procurat. videlicet, eum, qui honesta & verecunda praecedente causa mandatas sibi actiones exercuerit, non posse dici alieno negotio fungi. Praeterea mandatarum actionum aliquoties inititur mentio l. 76. de solut. & in l. 5. C. de heredit. vel action. vendit. emtori hereditatis permittitur actionibus mandatis vti. Denique alii innumeris legibus actionum mandatarum exercitium frequentissimum indicatur, veluti l. fin. C. quand. fisc. vel priu. debit l. 18. C. de legat. l. 53. de pecul. l. 2. C. de contrar. iudic. tut. l. 3. C. de nouat. l. 3. C. de heredit. vel action. vendit. l. 1. §. 13. de tut. & ration. diffract. l. 1. C. de O. & A. l. 20 de procurat. l. fin. de transact. l. 2. C. si cert. pet. l. 21. C. de fideiussor. l. 41. §. 1. D. eod. l. 2. §. 3. D. de heredit. vel action. vendit l. 24. §. 2. de pignorat. action. l. 25. de administr. & pericul. tutor. l. 2. C. de donat l. 23. pro soc. l. 37. §. 1. ad SCitum Trebell. l. 14. pr. de furt. l. 34. pr. de legat. 3. l. 32. §. 5. de donat. inter vir. & vxor. l. 8. §. 5. mandat. &c.

§. III.

Sunt autem stilo iureconsultorum actiones *mandatae*, Mandatae quae alieno nomine excentur, non tamen ultimo in mandatis utilitatem, sed in proprium lucrum atque emolu quid sunt? mentum. Quemadmodum igitur generatim quodlibet mandatum mandantis ac mandarii consensu perficitur l. 1. pr. mandat. & a mandario sponte suscipiendum est l. 22. §. 2. mandat. §. u. l. eod. ita quoque actionum mandatum mutuo consensu perficitur, ut ex parte mandatis *mandari* dicantur, & ex parte mandatarii *fiscipi* actiones. Sic enim rationes subducit V L P I A N V S in l. 24. §. 2. de pignorat. action. vbi disquirit, si creditor pignus pluris vendidit, quam debitum erat, nondum autem pretium ab emtore exegit, vtrum debitor exspectare debeat, quoad emtor

solutat, an vero creditor debitori *actiones* aduersus emtorem *mandare*, easque debitor *fuscipere* teneatur? Nimum veteris iuris haec doctrina & forensis haec sententia fuit, neminem actionem alienam mouere posse, atque in iudicium deducere, nisi haec ei *cesseret* vel *mandata* fuisset. Quae autem fuerit natura huius cessionis, huiusque mandati, & quomodo rite ac legitime peragi perficie conseruerit, id vero est, quod articulatus disquirendum atque commonstrandum nobis sumimus.

§. IV.

Vulgo ces- Communem interpretum sententiam proponit, sionem non amque facit LAVTERBACHIVS de procurat. in rem suam sine manda- §. 7. vbi docet, cessionem actionum non potuisse fieri, nisi to fieri po- interueniente actionum mandato. *Quamuis*, inquit, cef- ruisse sta- sio ab Vlpiano in fragm. tit. 19. §. 8. inter modos dominium tuunt: acquirendi referatur, & dominus, qui ex iusta causa alteri actiones suas cedit, hoc ipsum eo animo faciat, ut omne ius suum, omnemque eius utilitatem in accipientem transferat l. vendor. 23. D. de Act. vel hered. vend. attamen quum ea sit obligationum & actionum natura, ut a persona primi acquirentis in totum anelli nequeant, ea propter per hanc actionum cessionem non ipsum cedentis ius, & non actio ipsa in cessionarium transfertur, sed tantum eius exercitium, ce- dentis nomine peragendum. Vnde ipse cessionarius recte alie- na negotia administrare & procurator esse dicitur. Pergit §. 9. & actionum cessionem nihil aliud esse ait, quam modum quo per mandatum ex iusto titulo actiones, quatenus possunt, in alium transferuntur. Vnde porro infert, nullum esse inter cedere & mandare actiones statuendum differimen, fallique glossarum conditores, qui quandam hic effinxerint sibi differentiam: in quo ipsis adstipulantur SANDIVS de

*de Action. Cession. c. 1. §. 4. & BRVNNE MANNVS de Ces-
sion. Action. c. I. §. 2.*

§. V.

Neque vero omni praesidio destituti videntur, qui ^{quae sen-} hanc tuentur sententiam, quandoquidem passim in legi tenia vide- bus dicitur, per cessionem actionum cessionarium consti tuit iuuari tui *procuratorem in rem suam*: quo posito, *mandatum exi* variis LL. gitur, sine quo *procurator* ne mente quidem concipi potest. Huius rei argumentum offerre se videtur *I. 8. C.* *mandat* his conceptum verbis; *si mihi hac actione cedas*, *ut procuratorem me in rem meam facias*. Nec huius doctrinae vestigia obscura sunt in *Digestis*. Nam *I. 24. pr. de mi- nor. PAVLVS*, de minore alterius negotiorum gestore agens, hoc modo decidit: *compellendus est sic ei (domino) cedere auxilium in integrum restitutionis, ut procuratorem eum in rem suam faciat*. Assentitur *PAVLOVLPIANVS* in *I. 3. §. 5. de in rem verf. si non putat, sibi expedire, no- men debitoris habere, cedat creditori actionibus, procura- toremque eum faciat*. Et in *I. 8. in f. mandat*, repetit ferme eadem verba, confirmatque, per cessionem actionum cessionarium constitui procuratorem in rem suam. Idem sentire videtur *MODESTINVS* in *I. 76. desolut.* vbi *ceden- di & mandandi* vocabulo promiscue usus, haud obscure in- quirit, nullam hic statuendam esse differentiam. Nonnumquam etiam ICri cessionis mentione prorsus abstinent, ac tantum de mandatis actionibus loquuntur, ita tamen, vt mandatum actionum sic circumscibant, ut facile appareat, veram ea adpellatione cessionem intelligi. Hoc sensu plerique interpretes accipiunt *I. 2. in f. famil. heret.* vbi VI- pianus ostendit, qua ratione etiam nomina in divisionem venire possint, nimirum non alia, quam *vt alter alteri mandet actiones, procuratoremque eum in rem suam faciat*.

A 3

Sic

Sic quoque Imperator in *I. i. in f. C. de magistrat.* connue-
niend. omnem differentiam sustulisse videtur, his verbis:
mandatis tibi ab eis actionibus aduersus fideiussores, quos
aceperant, consistere potes, licet utilem actionem sine cesso-
ne habeas. Quibus addit *S A N D I V S cit. loc. §. 6.* specio-
sum argumentum, videlicet, in *I. vlt. & penult. C. man-*
dat. cessarum actionum naturam propterea fuisse excus-
fam, quod in omni cessione mandatum necessario inter-
ueniat: sin secus, alieno plane loco haec doctrina fuisse
adducta & pertractata.

§. VI.

Verior sen-
tentia alio-
rum, cesso-
nem hieri-
potuisse si-
ne manda-
to.
Non defuere tamen, qui, re curatiis pensitata, ac-
tio-
nes cessas a mandatis distinguendas esse non sine ratione
censuerunt, velut *ALFONSVS DE OLEA de cessione iu-*
rium Tit. i. Qu 2. n. 28. seqq. LENZIVS de nominibus &
actionibus cessis cap. 4. Membr. 7. ANTON. FABER Lib. 12.
conjectur. c. 6. Immo etiam ex veteranis *ACCVRSIVS &*
BARTOLVS in I. i. C. de O & A. discrimen quodpiam,
licet parum adaequatum & perspicuum, constituerunt, in
caeteris ad abditorem iurisprudentiam pertinentibus do-
ctrinis caecutientes. Plures tamen iuris interpretes nullam
differentiam inter hos duos modos actiones transfe-
rendi agnouerunt, non alia de causa, quam quod veter-
rem cessionis ritum, indolem, ordinem & naturam non
solerter indigerunt, sed hoc negotium ex habitu praesen-
tis temporis mensi sunt. Nemo enim est, qui neficiat,
hodie omnes actionum cessiones sola voluntate perfici, ani-
mumque cedendi ut plurimum scripto declarari, id quod
iam olim Anastasi temporibus visitatum fuisse innuit *I. pen.*
C. mandat. qua *cessionis instrumentum memoratur:* vt veri-
simile sit, antiquae cessionis ritum iam tum exoleuisse. Lon-
ge dispar fuit facies iurisprudentiac antiquioris, vbi cesso-
pe-

peculiaribus stipata sunt ritibus, ad quos procul dubio ocu-
los intendunt [Cti], quum de cessionibus commentantur.
Quod ut planum fiat atque expeditum, ex ultimo iuris
prudentiae aetio veram & genuinam antiquae cessionis ratio-
nem eruere iuvat & in conspectum dare.

093601 25
25122

§. VII.

Ac primum quidem, neminem fugere arbitror, mo- Antiquus in
dos acquirendi ciuiles antiquitus tres potissimum memo- iure cession-
rari, *vfuscationem*, *mancipationem*, & in *iure cessionem* nis ritus,
quibus dominium vel ius Quiritarium transferri consuetuit quo in ali-
ab altero in alterum. *Mancipatione* latius paruit *cessio in* um transla-
iure, qua etiam res incorporeas seorsim in alium transferr- tae res cor-
potuerunt, obseruante s c h v l t i n g i o in *Iurisprud.* An- porales.
teiusm pag. 623. Immo etiam in rebus nec *mancipi* locum
habuit *cessio*, quum *mancipatio* esset tantum *rerum mancipi*.
Ritum vero & solemnia cessionis in iure describit B O E-
T I V S ad Topic Ciceron. *Ceterae res, quae sui iuris erant,*
nec mancipi vocabantur: eadem vero in iure etiam cedebantur.
Cessio vero fiebat tali modo: Apud Magistratum populi
Romani, ut apud Praetorem vel Praefidem, is, cui in iure res
ceditur, rem tenens ita vindicat: hunc ego hominem ex iure
Quiritium meum esse aio. Deinde postquam vindicauerit,
Praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet? quo
negante aut incerte, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem ad-
dicit, idque legis actio vocabatur. Eundem ritum V L P I A-
N V S quoque Tiu. 19 fragm. §. 9. seq. exhibet, docetque,
nec suo tempore eum exoleuisse. In *iure cessio*, inquit
communis quoque alienatio est & mancipi rerum & nec
mancipi; quae sit per tres personas, in iure cedentes, vin-
dicantes, addicentes. In *iure cedit dominus: vindicat is,*
cui ceditur; addicit Praetor.

§. VIII.

§. VIII.

& incorpo-
rales.

Locum habuit haec cessio etiam in rebus incorporalibus, ut dictum s. VII. quamuis hae proprie manu teneri non possent, quod tamen in cessionis ritu require vidimus BOETIVM. Testis est VLPIANVS, qui l. c. s. n. Et in iure cedi, ait, etiam res incorporeas possunt, veluti vſusfructus & hereditas & tutela legitima, & libertas. Vſusfructus cessi fit mentio in l. 66. de iur dot. immo haec cessione inter modos amittendi vſumfructum refertur s. 3. I. de Vſusfr. quia, cessione vſusfructus domino facta, vſusfructus consolidatur cum proprietate, quod planius exponit PAVLVS libr. 3. sent. Tit. 6. s. 32. vbi ait: In iure cessione amittitur vſusfructus, quoties domino proprietatis eum fruſtarius in iure cesserit. Libertatem quoque dominus cedebat, vindicabat seruus, addicebat Praetor; quo ipso dominus proprietatem in seruo amittebat. Similem in modum nomina quoque & actiones cedebantur, & ita in alium transferabantur, quod infinitae leges docent, quippe rebus incorporalibus annumeratae. Ignorabant nimis ista tempora subtiliorem recentiorum philosophiam, qua nomina & actiones creditorum offibus sic inhaerere statuuntur, vt separari ab eis non magis possint, quam anima a corpore. (*) Quin potius perlausum habuere veteres

ICti

(*) Falluntur, qui tritam istam formulam legibus nostris inculcari aut praescribi sibi vel aliis persuadere conantur, quum nuspiciam eius in iure occurrat vestigium. Originem ea debet glossographis, qui eam ad palliandam confusionem inter cestas & mandatas actiones adiuuenerunt. Cuius rei testis est MORNACIUS ad l. 1. C. de O. & A. Notanda est, inquit, glossa, quae concludit, nullam esse differentiam inter cestas actiones & mandatas quoad cedentem & mandantem, quia videlicet remaneant semper penes cedentem directae. In quibus directis subtilitas iuris ea est, vt quacunque

ra-

ICri Romani, iura *personalissima*, quae nequidem in heredes transfire solent, in iure cedi & alterum plane transferri potuisse, quod modo in vſufructu, tutela & libertate vidimus. Maior sane in vſufructu & tutela dubitandi ratio fuit, quam in nominibus. Nam horum ius in commercio fuit, cum morte non exspiravit, sed ad heredes transiit. Quid ergo impedit, quo minus in iure cessione plene & plane alienari potuerint?

§. IX.

Quum itaque cessio in iure, qua praetor alteri alte quo factius rem vel ius addicebat, solennis alienandi & acquirendi ius omne modus esset, ius cedentis sane omne exspiravit, quippe cedentis ex translacum legitime in cessionarium; prout in vſufructu ^{stinctum} luculenter ostensum est. In nominibus autem & actionibus cessis aliud obtinuisse, tam est improbare, ut pugnantia loqui & sentire videantur, qui contendunt, *actiones in iure fuisse cessas, & tamen mansisse penes cedentem*. Quod qui statuunt, decepti videntur a glossographis, antiquitatum iuris ignarisi. Figmentum enim est in cerebro Accursii natum, actiones intimis creditorum ossibus ac medullis sic inhaessisse, ut nulla ratione ab iis aueilli possint, quum tamen vendi, permutari aliisque legitimis titulis ac modis

ratione numquam cedantur. Immo, ait ACCURSIVS, ita officiis inhaerent eius, cui semel quae sitae sunt, ut separari ab eo non magis possint, quam anima a corpore; tribus locis istud, nempe ad l. 3. pro soc. ad l. quis ergo de pecul. & ad l. i. C. per quas personas. Pergit MORNACIVS ibid. nostro iudiciorum more vilere fit pro sensu illa subtilitas, cessa enim actione pure & simpliciter, ita ut cedens nihil penes se recipiat, seu reseruat, ut loquimur; quorsum nibilominus imaginariae actiones quedam directae penes cedentem? Utilitas, inquit, actionum transit; sed ipsa magistra, ordinaria, directa, principalis actio non Egregium certe somnum! &c.

B

modis acquiri, transferri ac alienari queant. Videlicet iura quaevis sunt qualitates rerum vel personarum, & ubique subiectum desiderant, cui inhaerent, sic ut sine tali subiecto concipi nequeant. Si autem ista inhaesio impedit, quo minus iura in alium transferri possent; omne commercium hominum inter homines inane foret, nec cessio modus alienandi dici posset. Neque me ferit, quod obiici posset, in cessione rerum corporalium res ipsas coram ac naturaliter tradi ac in alterum transferri, eoque facilius alienationem fieri; id vero neutquam in cessione nominum & actionum contingere. Nam cessio in iure, siue corporalium sit, siue rerum incorporalium, inscedentis plane sustulit & extinxit, habuitque locum olim etiam in tutela, licet haec personae inhaereret, nec in eius cessione res quaedam corporalis simul transferretur in alium.

§. X.

Quibus rationibus motus assenerare non dubito, fabula solenni nominum vel actionum cessione, ius cedentis fuisse extinctum; neque directas actiones penes cedentem mansisse; multo minus necessum fuisse, ut post cessionem actiones alteri mandarentur. Namque hoc patet per cessionem nihil iuris in alterum fuisse translatum, idque duntaxat effecisset cessio, ut alteri actiones iam debarent mandari; ipsae tamen penes cedentem & mandantem perpetuo manerent: quod naturae cessionis est diametro repugnat. Atque hoc ipsum indicare videtur HERMogenianus in l. 23. de hered. vel action. vend. Venditor actionis, quam aduersus reum principalem habet, omne ius, quod ex ea caussa ei competit, tam aduersus ipsum reum, quam aduersus intercessores huius debiti, cedere debet. Quid enim est omne ius suum cedere aliud, quam ius suum

suum a se se amouere, abdicare, praescindere, exuere,
 deponere, atque in alterum transferre. Similiter in *I. u. C. de fideiuss.* non obscure haec sententia confirmatur his ver-
 bis: *Potuisti sane, quum fisco solueres, desiderare, ut ius*
pignoris, quod fiscus habuit, in te transferretur, & si hoc
ita factum, cessis actionibus ita vti poteris. Quid autem est
cessis actionibus vti aliud, quam actiones ex iure cesso mo-
uere nomine proprio. Etenim in hoc maxime *cessae & sim-*
pliciter mandatae actiones distinctae sivevidentur, quod
cessie proprio nomine; mandatae, nomine alterius motae fue-
re, tamquam a procuratore. Evidenterissimum huius rei
 argumentum ex iurisprudentia humaniore, quae D. Pii
 temporibus regnauit, haurire licet, qua noue constitu-
 tum, vtile actiones, praevio legitimo titulo, sine omni
 praecedente cessione proprio nomine posse institui, vt in-
 dicat *I. i. in f. C. de magistr. conuenient.* quae actiones sine
 dubio propterea fuerunt dictae *vtiles*, quod ex sola aequi-
 tate contra ius strictum, quo cessio in iure solennis desi-
 derabatur, proprio nomine poterant moueri. Quod igitur
 secundum ius strictum *cessione* olim peragendum fuerat, id
 postea, suadente aequitate, *sine cessione* receptum est, vt
 eo casu cessio fingeretur. Proinde sicuti emitor nominis
 ab hac *ficta cessione* proprio nomine experitur, ita multo
 magis, vera & solenni illa cessione facta, proprio nomine
 item suscepit: quod in *actionibus mandatis* neutiquam li-
 cult. Atque in hunc sensum interpretor *I. 2. C. de O. & A.*
 quae docet, dupli modo actiones venditas vel alio titulo
 acquisitas in alterum translatas sive, scilicet aut *cessione*
 interueniente, aut *mandato*. Verba legis sunt: *Nomini-*
bus in dotem datis, quamvis nec delegatio preecesserit, nec
litis contestatio subsecuta sit, vtile tamen marito actionem,
ad similitudinem eius, qui nomen emerit, dari oportere

Saepe rescriptum est. Si actiones simpliciter mandatae erant, per litis contestationem, qua procurator dominus litis fit, in actoris proprietatem venire dicebantur. Vbi vero interuenit *delegatio*, ipso iure extinguebatur ius delegantis: quod etiam de *cessione* verum, quam Imperatores sub delegationis vocabulo comprehendisse videntur, quemadmodum *cessio & delegatio reuera*, si ductum rationis sequimur, non differunt: quod pluribus demonstratum dedit Illustr. GUNDLINGIVS in diss. quae inscribitur: *Larua procuratori in rem suam detracta §. 21. seq.* Vid. Gundlingiana Part. VI. n. II.

§. XI.

Ob *cessio-* Enimuero solennis ista in *iure cessio* non semper ad-
nis folen- hiberi poterat, nec summis carebat difficultaribus, ob
nis difficiles strictam solennum obseruationem, quae ad unguem se-
ambages. quenda erat. Interim strictum ius & intemerata regula
fuit, neminem ex contractu alterius sine *cessione* sibi ac-
quirere actionem, vel agere posse. Nam nec dominus
ex contractu procuratoris, nec exercitor ex contractu
magistri aliter, quam *cessione* facta, agebat, licet nomi-
ne domini negotium gestum esset I. 38. §. 17. de V. O. I. 126.
§. 2 eod. I. 1. C. per quas pers. HERTIVS de obligat *mandato*. &
mandatar. intuitu tertii §. 2. quoniam contrahenti potius,
quam domino, actio videbatur acquisita, ac proinde re-
gulariter *cessione* opus erat, ut dominus agere posset. Quo
tamen ipso non levius remora rerum commerciis & ciuil-
bus negotiis iniecta fuit.

§. XII.

Non fugit hoc humanioris jurisprudentiae praefides,
modo man- qui propterea expeditorem modum excogitaverunt,
dato trans- ferri coe- quo, remotis ambagibus & omni subtilitate susque deque
ptae actio- habita, liceret agere ex contractu alterius, solo *mandato*,
etiam

etiam extrajudicialiter inito, interueniente. Mandaban nes, sine vltur scilicet simplices actiones ei, qui eas in lucrum suum mouere intendebat, vt procuratorio nomine agere videatur, quod fuit vltatissimum. Nulla hic solennia; nullae formulae; ambages nullae: sufficiebat nuda & simpli- citer declarata voluntas, vt alter procurator constitueretur. Nec oggeri potest, vt quis *procurator in rem suam* fieret, cessionem debuisse praecedere. Quid enim? Annon prae- cedens titulus, veluti emti, dotis, in solutum dationis &c. sufficiens argumentum fuit, talem procuratorem pro- prii lucri caussa mouisse actionem, ex voluntate eius, qui mandauerat actiones? Fingamus, Titium vendidisse nomen suum Caio, eique mandasse actiones; Caium autem pro- curatoris nomine egisse, vicisse & iudicatum exegisse; Titium vero ex caussa mandati repertere, quod Caius exegerat: an- non Titius repelletur exceptione venditi nominis? Annon Caius obincere possit, ex voluntate Titi se procuratorem constitutum fuisse in rem suam? Ut constitueretur procura- tor, sufficiebat mandatum: vt vero mandato fungeretur in rem suam, itidem ex voluntate mandantis praecedente iu- sta caussa, declarata, fieri poterat sine vlla cessione.

§. XIII.

Hic vero dissentunt plerique doctorum, quo quod ad- rum dubiis est occurendum. Et quidem horum antea strinxer ad- gnanus L A V T E R B A C H I V S diff. de procurat. in rem versus dis- fiam §. 9. contendit, procuratores in rem suam constituiri per sentientes. actionis cessionem, ex rationibus supra adductis: quibus addit nouum hoc argumentum: *quod in rebus corporali- bus est datio, illud in actionibus cesso esse videtur.* Sed haec illatio plus probat, quam probare debebat, ac ipsius au- toris sententiam destruit. Nam in rebus corporalibus datio operatur translationem dominii similisue iuris ple-

nariam, ut accipiens suo iure ac proprio nomine postea rem possideat, ea vtatur, ac de ea, tamquam sua, libere disponat. Iam vero si cessio idem operatur intuitu actionum, per eam actiones in ius & in proprietatem alterius plane transeunt, ut nullo amplius mandato sit opus, sed cessionarius vtatur actionibus cessis & quidem directis. Pergit LAVTERBACHIVS ibid. Ut itaque per actionum cessionem procurator in rem suam constituantur, omnino requiritur mandatum, quod est loco traditionis. Sicut enim rei venditae & donatae dominium sine traditione non transferitur l. 20. C. de part. ita venditae aut donatae actionis procurator in rem suam non constituitur, nisi actio illa emtori aut donatori fuerit mandata. Non satis haec cohaerere manifestum est. Quis enim adduci possit ad credendum, mandarum esse loco traditionis? quum potius *in iure cessio* sit instar *traditionis*? Si mandatum traditionis vicem subiret, cessio foret superflua & idem efficeret, quod traditio; quum tamen per tale mandatum *directae actiones* manent penes mandantem. Admitto, non solo titulo transferri dominium, sed praeterea accedere debere *traditionem*. Concedo, nec nomen alteri acquireti solo titulo, sed cessionem in iure olim fuisse desideratam, qua facta demum plene ac perfecte nomen fuit acquisitum. Largior denique, neminem venditae vel donatae actionis procuratorem in rem suam constitui, nisi actio illa emtori vel donatori fuerit *mandata*. Ast vero hoc *mandatum* non fuit *cessio in iure*, neque, cessione facta, mandato amplius opus; quandequidem emtor vel donator *cassis actionibus* proprio nomine uti poterat.

§. XIV.

adhibita li- Illud tamen inficias ire non possum, tale *mandatum*
mitatione, *cessioni* solenni, in iure peragendae, ICtorum solertia sur-
ro.

rogatum fuisse, quod *virtualiter* cessionem quamdam in sensu vulgari tegeret, quia mandans, dum sine *cessione in iure* procuratorem in rem suam constituit, id omnino egit, ut in effectu omne commodum actionis transferret in procuratorem, & hic per indirectum *dominus actionis* redderetur. Quod varia legum effata confirmant, quae ad soluenda dubia, paullo ante obiecta, egregie, faciunt. Namque *I. 13. §. 1. de pac*t*. I*Ctus de effectu huius mandati differit hunc in modum; *si in rem suam datus sit procurator, loco domini habetur, h. e. eius, cui in iure cessa erat actio, quamvis subtilli iure, deficiente cessione, dominus non esset.* Idem in *I. 25. de procurat. in f.* confirmatur: *plane si dicat, in rem suam se procuratorem datum, & hoc probauerit, non debet carere PROPRIA LITE.* Hic actio mandata *propria* vocatur, ratione effectus, licet subtilli iure videretur aliena, deficiente quippe cessione. Eodem collineat *I. 9. C. de procurat.* *NON potest dici, eum, qui honesta & verecunda praecedente causa MANDATAS sibi actiones exercuit, ALIENO negotio fungi,* quia in effectu huiusmodi actio cessa videretur. Et tamen in *I. f. C. quand. fisc. vel priu. debit. traditur,* creditorem mandatis actionibus *ex persona sui debitoris aduersus huius debitores experiri;* quod vix aliter, quam de externa specie ac rei facie intelligendum.

§. XV.

Quae cum ita sint, mirum non est, nonnunquam quae expli-
in iure nostro hoc *mandatum*, quo quis constituitur pro-
curator in rem suam, *cessionis* vocabulo indigitari, non
quidem in sensu proprio, germano & antiquo, sed ma-
gis vulgari & latiori, quatenus per tale mandatum *in effe-*
ctu omne commodum actionis in procuratorem est trans-
ferendum: *quod LENZIVS de cession. nomin. & action. c.*

4. m. 7. n. 17. animaduertisse videtur. Atque hunc in modum interpretanda sunt verba l. 24 pr. de minor. vbi ICtus domino, cuius negotia gesserat minor, suggerit hoc remedium, ut hic ei sic cedat auxilium restitutionis in integrum, ut procuratorem eum in rem suam faciat. Non de vera cessione, quae in iure sit, loqui ICtus, indicat particula *sic*, quae modum ostendit, quo in negotiorum gestione maior ex persona minoris prodesse possit restitutionis auxilium, videlicet, ut ita auxilium hoc ei permitat concedarque, ut tamquam procurator in rem suam hoc petat postuleat. Obseruauit pridem ANTON. FABER in ration. ad D. ad cit. l. hoc loco eam cessionem, quae in noninum traslatione visitata erat, intelligi non posse, quod beneficium in integrum restitutionis, ratione aetatis indulsum, per cessionem in iure transferri nequeat l. 42. de administr. & peric. tut. Rectius itaque, FABRO iudice, restitutionis beneficium mandari dicitur, quam cedi, quod indicat l. 25. eod. ut ne quidem *actio utilis* ex rescripto D. Pii huc applicari posit, quam semper ex persona minoris hoc auxilium quaerendum sit, proprioque nomine ac iure agi nequeat: quod tamen *actio utilis* intendit. Ex his elicitor 1) nonnunquam mandari tantum, non vero cedi potuisse iuris auxilium. 2) cessionem etiam in sensu proprio aliter fieri potuisse, quam ut cessionarius procurator in rem suam constitueretur: Secus admodum incongrue particulam *sic* adjecisset ICtus, si semper per cessionem cessionarius procurator in rem suam fuisset factus. 3) ne vtilem quidem actionem ex edito D. Pii ad omnes actiones, quae mandari poterant, applicari posse, sed tantum ad illas, quae perfecte cedi poterant.

§. XVI.

§. XVI.

Eamdem interpretationem admittit l. 8. *in f. mandat.* quae pro externa specie dissentientibus fauere videtur in primis. Scilicet non aliud ibi intendit ICtus, quam quod l. 2. §. f. famil. hercisc. magis perspicue & proprie traditur his verbis: *vt alter alteri mandet actiones, procuratoremque eum in rem suam faciat.* Neque enim cessionem sō. lennem a ICto requiri in cit. l. 8. docet vel ipsa cessionis allegatae circumscrip^{tio}, e qua manifestum est, simplex mandatum actionis intelligi. Quid enim cedere actione, ut alter procurator in rem suam fiat, aliud est, quam actionem alteri mandare, in eumque per obliquum omne litis com- modum deriuare: quod ipsum in vera cessione contingere solet? Praeterea constat inter omnes, particulam *ut in iure nonnumquam in & ac vicissim hanc in illam fuisse transmutatam*, quod in cit. l. contigisse probabile est, ut legendum videatur: *si mihi hac actione cedas, ET procuratorem me in rem meam facias.* Sic enim utramque propositionem coniungit Vlpianus in l. 3. §. 5. de *in rem vers. cedat creditor i actionibus, procuratoremque eum faciat.* Neque tamen has propositiones pro synonymis venditare animus est, quod supra confutauimus; quem exprimant duos, sed valde affines, modos transferendi actionem in alterum.

§. XVII.

Iam vero conuenit, ut videamus quantum interfue inter cessas rit, cessa^ent actiones, an mandatae. Si mandatae, & mandatas actor plus iuris, quam aliis procurator & mandatarius sibi vix poterat vindicare, nisi quod pecuniam exactam actiones differen- retineret suamque faceret. Nam 1) quemadmodum mandatum morte mandantis extinguitur §. 10. I. mand. ita etiam actiones mandatae, si forte ante litem contestatam

C

sine

sine herede decederet creditor, exspirabant *I. i. C. de O. & A.* si lite contestata obiret, perseuerabant, quod procurator iam esset litis dominus factus *I. i. & 2. C. de O. & A. I. 3. C. de nouat.* Quis autem sibi persuadeat, idem obtinuisse, si *cessio in iure solennis* facta erat? quandoquidem haec fuit *alienationis* species, quae nihil iuris superesse permettebat penes cedentem. Id rursus haud obscure colligitur ex *ll. cit.* Utilem eo euentu, quo ante litis contestationem obiit mandans, Imperator concedit procuratori in rem suam actionem, proprio nomine exercendam: quae, ut supra ostensum est, inde nascebatur, quod *ficta* quaedam *cessio* sub tali mandato lateret, singendumque esset, in effectu solenniter cessam fuisse actionem. Sicuti autem *ficta cessione*, actiones a cessionario *proprio nomine* mouentur; ita multo magis hoc fieri potest post *veram cessionem* factam, qua directae actiones transferuntur in cessionarium. Nam figmentum illud Accursianum de actionibus, creditoris offibus inhaerentibus ac nullo modo ab eo auellendis, supra explosum ac destructum deditus.

§. XVIII.

differen-
tia II.

Altera differentia inter cessas & mandatas actiones haec fuit, quod *mandatae* actiones etiam post mandatum manerent penes *mandantem*, eo effectu, ut & mandans debitum exigere posset, & debitor ei soluere. Cuius iuris auctorem testemque cito *CORDIANVM*, qui *I. 3. C. de nouat.* si *delegatio*, inquit, non est *interposita debitoris tui*, ac *praeterea actiones apud te remanserunt*, quamvis creditori tuo aduersus eum solutionis causa *mandaueris actionem*; tamen, *antequam lis contestetur*, vel aliquid ex lite accipiat, vel debitori suo denuntiauerit, exigere a debitoro tuo debitam quantitatem non vetaris, & eo modo tui creditoris *exactionem contra eum inhibere*. Tribus ergo in causibus

sibns debitor pristino creditori suo amplius soluere nequir,
 1) *facta litis contestatione*, qua procurator est dominus litis
 factus. 2) *agnitione*, h. e. si ipso facto procuratorem in rem
 suam, vt *crelitorem*, agnouit, aliquid ei ex debito sol-
 uendo. Sic enim voluntatem suam in damnum procura-
 toris in rem suam non amplius mutare permisum. 3) *de-
 nuntiatione*, quae olim litis suscipienda causa fieri consue-
 uit, P A V L U S libr. V. sent. tit. 5. §. 7. l. 7. C. quom. &
quemadmodi iudex. l. 5. pr. de poen. l. 20. §. 11 de hered. petit.
 Quodsi nihil horum factum, mandans non tantum debitum
 exigere potuit, sed etiam debitori interdicere, ne solueret
 ei, cui actio erat mandata. Nemo autem, cui sanum
 synciput, haec facile dixerit de cessione in iure facta,
 quae sane plus virium habuit, quam simplex mandatum.
 SALICETVS ad l. 3. C. de nouar. notat, ideo solui non
 posse cedenti vel deleganti, quia nulla actio penes eum rema-
 net. Vid. MORNACIVS ad cit. l. Agnouit etiam quo-
 dammodo hoc discrimen ANTON. FABER Lib. XII. con-
 iectur. c. 6. licet in ceteris stet a partibus Accursianorum,
 atque post solem in Iure cessionem nihilominus dire-
 das actiones manisse statuat penes cedentem. Illustran-
 di argumenti causa iuuat ipsa verba in conspectum dare:
 Sed hoc ego contendeo, mulium interesse, an mandatae sint
 actiones solutionis gratia; an vero cessum sit, aut, quod
 idem est, datum nomen in solutum. Hoc enim posteriore
 casu actiones utiles ex cessione competit l. vlt. C. quand.
 fisc. vel priu. idque ipso iure, ita, vt speciali cessione opus
 non sit. Priore vero casu fieri nequit, vt ex mandato dire-
 starum utiles competant, sed directae tantum: quae quum
 sint mandatae, competit procul dubio vi & potestate solius
 mandati, nec nouae cessioni locus relinquitur. — In eoque
 tam imperite tot tantosque viros errasse tanto magis miror,

quod video non ignorasse illos, aliud esse mandare actionem; longe aliud, nomen cedere. Sic enim Cinus, Baldus, & alii docent post glos. ad l. i. in verb. mandatas C. de obl. & Action. Illa igitur Imperatoris Alexandri quae & nostra sententia est, si creditor actiones duntaxat mandauerit procuratori, sive nudo, sive in rem suam constituto, nulla tamen nominis cessione facta, non esse prohibendum creditorem, eundemque mandatorem: quo minus easdem actiones, quas mandauit, exerceat: quia, quum sint directae, non potuerunt ita transferri ex causa mandati, ut non in mandantis persona perpetuo remanserint l. quis ergo 16. D. de pecul. l. 3. D. pro socio: neque vero id actum est a creditore, quum eas procuratori mandauit, ut eas amitteret, sed potius, ut eorum fructum & emolumentum facilius consequeretur, procuratore nihil nisi ministerium exhibente & ex ipsis mandantis persona agente, sive solius mandantis, sive ipsis quoque mandatarii gratia mandatae actiones proponantur, id est sive nudus procurator sit is, cui mandatae fuerunt, sive in rem suam constitutus. — At si creditor non tantum actiones mandauerit; verum etiam nomen ipsum debitoris vendiderit, aut in solutum dederit, difficulter ei permititur, ut debitum exigat, quamvis nec dum cessionarius item contestatus sit, nec debitori denuntiauerit, ne solueret, nec debiti partem ullam perceperit &c. Quae verba posteriora de cessione in iure facta intelligenda esse, structura & ordo orationis suaderet, licet FABER sub ob curiis loquatur, & solius tituli, venditionis scilicet aut in solutum dationis, mentionem faciat, quo tamen nec is, cui mandata est actio, destituitur.

§. XIX.

Differentia LENZIUS denique cit. l. n. 15. tertiam suppeditat III. differentiam, nimirum, quod celiae actiones sint perieu-

lo

lo cessionarii; mandatae vero mandantis. Ratio differentiae eruenda est e diversa *cessionis* & *mandati* natura. Namque per cessionem ipsum nomen transit in cessionarium, qui eius sit dominus, adeoque subit eius periculum; mandatum autem nomen manet penes mandantem, tamquam dominum, qui eius sustinet periculum aequae ac in *assignatione* nostris moribus usurpata; quia per simplex mandatum, nulla cessione facta, ipsum ius ac rei proprietas non transit in mandatarium. Neque haec sententia abludit a placitis ICtortum: quod paucis ostendam. In l. 24. §. 2. de pignor. *action.* refertur species creditoris, qui pignus pluris vendidit, quam debitum erat. Quae situm fuit, vtrum, si pretium ab emtore nondum exegerit creditor, idem debitori ratione residui seu hyperochae teneatur? Respondit VLPIANVS: *Et arbitror, non esse urgendum ad solutionem creditorem: sed aut exspectare debere debitorem, aut si non exspectat, mandandas ei actiones aduersus emtorem,* PERICVLO TAMEN VENDITORIS, seu creditoris, qui debitorem procuratorem fecerat in rem suam. Id commodi igitur ex mandatis actionibus habuit procurator in rem suam, ut periculum nominum haud sustineret. E contrario post solennem cessionem factam actiones fuerant periculo cessionarii. Quod indicat GAIUS in l. 17. in f. de hered. petit. vbi bona fidei possessor hereditatis sine cautione soluit legata, quae postea, quum a vero herede evinceretur hereditas, a legatariis, ob eorum inopiam, repetere nequit. Huic ICtus permittit, *vt ipse quidem ex retentione rerum hereditiarum sibi satisfaciat;* CEDAT autem ACTIONIBVS PETITORI, VT SVO PERICVLO EAS EXERCEAT. Cessione hic opus fuit, quum b. f. possessor de domino teneretur, si legatarii interea soluendo non essent. Ad eundem modum deciditur in l.

30 in f. eod. vbi quaeritur, quid b. f. possessor circa nomina
 hereditaria praestare debeat? Respondebat ICtus, haec tan-
 tum modo eum praestare debere, id est, vel forte, & usuras
 eius, si & eas perceperit, vel nomina cum eorum CESSIO-
 NE in id facienda, quod ex his adhuc deberetur, PERICULO SCI-
 LICET PETITORIS. Strictim desiderat ICtus cessionem,
 ut periculum in cessionarium transferri posset, quod SCrum
 ibi adductum intendebat. Tantumdem innuere videtur
 in l. 4. de hered. vel action vend. VLPIANVS. Quamvis enim
 cessionis nullam ibi mentionem faciat, pro substrata tamen
 materia vel haec subintelligi debet, vel, quia nominis di-
 stracti sit mentio, ex natura venditionis statuendum est pe-
 rieulum nominis distracti ad emtorem pertinere, quod per-
 fecta venditione re nondum tradita, statim transit in emto-
 rem §. 3. I. de emt. vend. Facit huc etiam l. 31. pr. de action.
 emt. vend. Si ea res quam ex emto praestare debebam, vi-
 mibi adentia fuerit, quamvis eam custodire debuerim; ta-
 men proprius est, ut nihil amplius, quam actiones persequen-
 da eius, praestari a me emtori oporteat: quia custodia adver-
 sus vim parum proficit. Actiones autem eas non solum arbi-
 trio, sed etiam periculo tuo tibi praestare debebo, vt omne lu-
 crum ac dispendium te sequatur. Concinit rursum, & qui-
 dem hic multo dilucidius ANTON. FABER Lib. XII. conie-
 tur. c. 7. Illa sane distinctio perpetuo necessaria est, quam no-
 stri non obseruarunt: an cessio nominis facta sit: an vero
 mandatae dyntaxat actiones? Cessi nominis periculum omni
 casu ad cessionarium pertinet, dummodo cedentis nec dolus
 nec culpa illa interueniat: ex §. foror l. pupilli 96 D. de solut.
 qui locus de inope debitore generaliter loquitur, non adhibi-
 ta ea distinctione, an inopia illa post cessionem superuenerit, nec
 ne: nec illa rursum, an simpliciter cessum sit nomen, an ae-
 stimatum. - Hoc autem casu licet in rem cessionarii (manda-
 tarii)

tarii) mandatae *actiones* proponuntur, *periculo tamen cedentis* (mandantis) *esse* debent, *sive nihil omnino, sive minus exigatur: dummodo procuratoris in rem suam constituti culpa nulla arguatur id est, dum non fuerit ille negligens in exiendo debito, postquam item contestatus est, aut debitori denuntiavit, ne solueret. A loqui qua fronte, obsecro, potest is, qui mandauit actionem, inputare mandatario, cur mandatam non exercuerit, quam nec ipse egerit, qui proprio iure agere poterat, si debitorem exigere voluisse? — In eo sane Castrensi assentior, quod ille fatetur, celi nominis periculum ad celsionarium pertinere, non solum si insolutum facta sit *cessio*, sed etiam si simpliciter & reliqua.*

§. XX.

Itaque modo in iure cedebant *actiones*; modo eas Remedium remoto circuitu simpliciter mandabant, procuratoremque D. Pii in rem suam faciebant eum, cui vendita vel alio titulo acquisita erat *actio*. Durauit haec consuetudo usque ad tempora D. p 11, qui cum in aliis capitibus nimium antiqui juris ciuilis rigorem multa humanitate temperauit, tum in hac doctrina non sine ratione nonnulla innouanda ac emendanda censuit. *Mandatae* *actiones* lubricae erant & ancipites. *Mandarum* exspirat cum morte mandantis, lite nondum contestata. *Directae* *actiones* manebant penes mandantem, qui mandatum frustrare & debitum ipse exigere, imo debitori legem dicere poterat, ne solueret mandatario seu procuratori in rem suam. *Pinguus* quidem ius contulit *cessio in iure*, scilicet ipsas directas *actiones*, ut nihil iuris maneret penes cedentem. Sed quis non cessione ambages & formulas & solennia perhorresceret? Quis eligeret eam viam, in qua tam facilis lapsus? Nam in antiquis istis formulis omnia ad unguem sic erant obseruanda, ut si vel uno vocabulo errarent vel laberentur,

actus

actus esset nullus. Faciliori itaque & magis obvio iuris remedio nominum & actionum emitoribus consulendum esse censuit D. PIVS; quod paucis explicandum est.

§. XXI.

quo actio Videlicet, quod supra iam innuimus, factam in sc̄e
villis, pro-nam produxit cessionem, eamque eiusdem cum vera ces-
sione roboris esse voluit, ita videlicet, ut ex facta cessione,
ne exerce- non minus ac in vera, proprio nomine agi posset, aequitate
da, conce- id suadente ac urgente. Vnde viles sunt dictae actiones,
dit ex fi- quae sine cessione, immo etiam sine mandato, ab eo, qui
cta cessione iusto titulo nomina acquisuerat, institui contra debitorem
cessum poslunt. Quid enim aequitati naturali conuenien-
tius, quam voluntatem domini, volentis ius suum in alterum
transferre, ratam haberi? §. 40. I. de rer. diuis. Qui le-
gat, donat, vendit, alioue iusto titulo nomen in me trans-
fert, id agit, ut nomen posthac in meo iure sit atque ar-
bitrio, ut ego possim nomen id proprio nomine exigere,
& contra morosum debitorem agere. Hoc qui intendit,
nihil sibi iuris in nomen illud reseruare potest, & si reser-
uat, pugnantia intendit; quod a fani hominis sensu alien-
num est. Neque de iure naturae & ex rectae rationis di-
ctamine praeter titulum ad ius hoc transferendum aliud
quidpiam requiritur, cum in sola voluntate alienantis
contrahentes subsistere queant. Neque etiam ex iure na-
turali demonstrari potest, traditione opus esse ad transfe-
rendum dominium. Nam quod iura ciuilia traditionem
in rebus corporalibus & cessionem in actionibus transfe-
rendis desiderant, id iuris positivi est. Hinc D. PIVS,
quum in hac doctrina solum ius naturae & rectam ratio-
nem sequi voluit, actiones viles ex voluntate alienantis
recte concessit.

§. XXII.

§. XXII.

Iuuat hanc doctrinam ex ipsis iurium fontibus deriuatur e
uare atque illustrare. Principio V L P I A N V S in l. 1. §. 13. propriis le
de tut. & rat. distractab. egregium huius rei prohibet testi. gum sedi.
monium. Ait enim: si forte quis ex facto alterius tutoris bus,
condemnatus praefiterit, vel ex communi gestu, nec ei man
datae sint actiones; constitutum est a D. p i o & ab Impe
ratore Nostro & D. patre eius, utilem actionem tutori ad
uersus curatorem dandam. Quibus verbis non solum au
tores emendatae huius doctrinae indicantur; sed etiam
utulis actionis natura perspicue traditur. Si mandata erat
actio, utilis non dabatur, quippe *superflua*: multo magis,
si solenniter cessa, cuius quidem hic diserta mentio non
fit, quod propterea factum videtur, quia rarior cesso;
mandatum vero frequentius, quippe quod faciliore opera
solo consensu iniri posset. Idem ICtus eundem Impera
torem eiusdem emendationis auctorem laudat in l. 16. de
pactis: Si cum entore hereditatis pactum sit factum, & ven
ditor hereditatis petat; doli exceptio nocet. Olim non no
cuit, quum mandanda esset actio. Postea omnino nocuit,
quum *sicca cesso*, a p i o producta, eiusdem virtutis esset
ac vera cesso. Inde haec subiungit V L P I A N V S: nam
EX QVO rescriptum, utiles actiones entori hereditatis dan
das, merito aduersus venditorem hereditatis exceptione doli
debitor hereditarius vti potest.

§. XXIII.

Hanc nouam iuris regulam cum Iureconsulti, tum & exemplis
Imperatores ex eo aeuo in decisionibus suis vt plurimum confirma
sequuntur, licet negari nequeat, eosdem interdum respe
tur. xisse etiam ad iuris antiqui & rigidioris formulam, ad
eamque nonnullas decisiones efformasse. In l. 18. C. de le
gat. Imperatores decidunt controuersiam, rationemque

D

decidi.

decidendi faciunt istam regulam: *Ex legato nominis, actionibus ab his qui successerunt non mandatis, directas quidem actiones* (ut pote quae sine cessione solenni transferri non poterant) *legitarius habere non potest: V T I L I B U S autem s y o N O M I N E experietur, vt haberi debeat, ac si cessione facta fuisset.* In l. 7. C. de hered. vel action. vend. eadem occurrit sententia: *Ordinarium visum est; post nominis venditionem utiles emtori, vel ipsi creditorori postulanti demandas actiones.* Duo remedia, vel mandatis vel utilibus actionibus utendi, proponuntur ab Imperatoribus in l. 8. C. eod. *Ex nominis emtione dominium rerum obligatarum ad emtorem non transit, sed (1) vel in rem suam procuratore facto, (2) vel utilis, secundum ea, quae pridem constituta sunt, exemplo creditoris, persecutio tribuitur.* Interdum enim ut credere par est, contulius iudicabatur, *mandatis actionibus vti, vt periculum actionum maneret, penes mandantem.* Eadem remedia commendantur in l. 2. C. de contr. iud. tutel. Si non ex propria culpa solus pupillae condemnatus es, sed absens & indefensus acquieciisti, quum ex causa iudicati satisfacere cooperis; *actiones aduersus contutores tuos MANDARI tibi a pupilla desiderabis vel UTILI actione vteris.* Clara sunt denique eadem remedia in l. f. C. qu. fiscus vel priv. In solutum nomine dato, non aliter nisi MANDATIS actionibus EX PERSONA SVI DEBITORIS aduersus eius debitorem creditor expiri potest: *S Y O autem NOMINE UTILI actione recte utetur.*

§. XXIV.

Vt ille actio-
nis nouum
commo-
dum si for-
te extin-
Denique si *mandata* erat actio, iure veteri nondum perfecte propria habebatur, nisi post litem contestatam. Ut ille actio hunc quoque rigorem temperavit, & quod iuri antiquo defuit, suppleuit. Id vero duo legum loca celebratissima euincunt demonstrantque, quorum alter habe.

habetur in l. i. C de O. & A. data certae pecuniae quantitate etum est ei, cuius meministi, in vicem debiti actionem tibi aduersus mandatum debitorem, pro quo soluisti, dicis esse mandatam, & , antequam eo nomine item contestareris, sine herede creditorem fati munus implesse proponis. Quae si ita sunt, utilis actio tibi competit. Sic ergo in mandatis actionibus, exstincto mandato, recurrebatur ad utilem, quae ex aequitate proprio nomine institui poterat. Alter locus est in l. 2. C. eod. Nominibus in dotem datis, quamvis nec delegatio praecesserit, nec litis contestatio subsecuta sit; utilem tamen marito actionem, ad similitudinem eius, qui nomen enerit, dari oportere, saepe rescriptum est.

§. XXV.

Quae quum ita sint, tandem ex hoc humanioris iuris Concludi-prudentiae principio concludo, iure novo, sic de titulo tur, hodie, ad dominium transferendum habili & de intentione actio vbi iustus titulus & nem in alterum transferendi constat, eum, in quem trans feruntur actiones, etiamsi nulla cessio, nullumque mandatum praecesserit, proprio nomine experiri posse.

T A N T V M .



D 2

VIRI

vbi iustus
titulus &
voluntas a-
lienandi ad-
est, neque
cessione, ne-
que manda-
to opus
esse, sed
proprio no-
mine agi
posse



VIRI
 ILLVSTRIS ET MAGNIFICI,
IVSTI HENNINGII BOEHMERI, I.C.
 POTENTISS. PRVSOR. REGI A CONSILIS INTIMIS,
 IVRIVM IN FRIDERICIANA ANTECESSORIS,
 ET H. t. ACADEMIAE PRORECTORIS,
 FILIO NATV MAXIMO,
 OMNI ERVDITIONIS LAVDE FLORENTISSIMO,
IO. SAMVELI FRIDERICO BOEHMERO,


S. P. D.

IO. DANIEL GRVBER.

Contigit TIBI, doctissime suauissimeque BOEHMERE, in
 paucis, vt non solum ad imbibenda humaniorum literarum studia,
 sed etiam ad seuerioris sapientiae disciplinam, atque ad arduam
 illam insitam aequiscientiam paene a pueris traducereris. Nam
 principio, singulari propitiis Numinis munere, natus es atque edu-
 catus in ea vrbe, ad quam, veluti ad mercatum bonarum artium,
 omnis aetatis ingenia undique confluent: partim ut in literis
 & pietate, optimorum magistrorum ope, adolescent; partim ut
 alibi bausa rudimenta in Fridericiana ex institutione celeberrimi-
 morum doctorum prouehant in maius, perducantque ad maturita-
 tem. Deinde iis PARENTIBVS, natus es, qui, quum in pue-
 ro emicantes ingenii igniculos alendos censerent, TE primum le-
 diffissimis

Eissimis morum atque artium in Regio Lycco suburbano magistris
 perpoliendum darent, ac deinceps iam probe subactum & excul-
 tum in lucem academicam traducerent, vbi breui tempore ita pro-
 fecisti, ut in ea aetate, qua alii amplissimum eruditioinis huma-
 nae campum vix dum e longinquo prospiciunt, TV eum non in-
 gressus solum, sed magnam tam partem emensus esse videaris. In-
 primis autem difficile illud & spinosum per subtileis iuris Romani
 ambages iter, ILLVSTRI atque OPTIMO PARENTE Duce,
 tam mature suscepisti atque absoluisti, vt nibil tam sit in hac di-
 sciplina reconditum, nibil tam arduum, nibil tam abstrusum,
 quod non excellit ingenie TVI pertentauerit acies. Merito
 igitur & beatum tanto PATRE filium, & dignum tali filio PA-
 RENTEM quum omnes praedicent, babeo & ego, quod mihi gra-
 tuler. Placuit enim ILLVSTIBVS PARENTIBVS TVIS,
 vt, quemadmodum ego olim PATRIS TVI, ita TV vicissim meae
 disciplinae fieres alumnus, primumque eruditioinis specimen, me
 potissimum ductore, ederes in publicum. Quod sane ita compara-
 tum est, vt, qui ad TE audiendum confluant, comperturi sint,
 spem eam, quam de profectibus TVIS omnes conceperunt, TE
 multis parasangis antecedere. Quod supereft, duinum Numen
 submissè veneror, vt TE, BOEHMERE dulcissime, ad summa
 quaevis natum & domestico exemplo stimulatum, perpetuo solpi-
 tem feruet ac incolumen, TVisque laboribus ita adspiret, vt,
 dum per PATERNA vestigia ad veram iurisprudentiae laudem
 grassis, digna TVIS meritis praemia feras. Vale. Halae
 Magdeburgicae a. d. XIII. April. CICDCCXXIII.






ULB Halle
004 070 127

3



B.I.G.



DISSE^{LXXX}TATIO IVRIDICA

DE

ACTIONIBVS MANDATIS

QVAM

INCLVTI IVRECONSULTORVM ORDINIS INDVLTV

IN FRIDERICIANA

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTVNT

PRAESES

IO. DANIEL GRVBER

PHIL. ET J. V. D.

ET

RESPONDENS

IO. SAMVEL FRIDERICVS BOEHMER

HALENSIS, IVRIS STVDIOS.

A. D. XVI. APRIL. CL^o IC CCXXIII.

H. L. Q. C.

HALAE MAGDEBURGICAE

AERE IOAN. GRVNERI, ACAD. TYPogr.

4

